195.
(15

COMPENDIUM

VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM

NECNON

ACTORUM IN CAUSSA

CANONIZATIONIS

B. ANGELAE MERICIAE

Fundatricis Societatis S. URSULAE

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis





ROMÆ MDCCCVII.

Apud Lazarinum Rev. Cam. Apost. Typographum

Digitized by Google

Saeculo æræ christianæ decimoquinto in finem inclinato, annum nempe circiter millesimum quadringentesimum septuagesimum, piis orta est parentibus ANGELA MERICIA Decentiani, Veronensis Diœceseos Oppido ad Lacum Benacum in Ditione Veneta. A prima ætate puerilia oblectamenta, mundique illecebras respuens, silentio, oratione, rerum cælestium meditatione delectabatur, ac virginitatis præcipue lilium, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit. Muliebrem omnem perhorrescens ornatum, egregiam vultus formam, pulchramque cæsariem studiose fœdavit, ut divino tantum placeret animarum Sponso. Genitoribus orbata in ipso adolescentiæ flore austerioris vitæ desiderio in desertum locum una cum Sorore aufugere tentavit: sed ab Avunculo prohibita, novit præstare domi quod in solitudine non licuit.

Breve post temporis intervallum quum obiisset hæc quoque dilecta Soror, dolebat ANGELA ac vehementer angebatur, se comitem amisisse in suscepta sanctæ asperrimæque vitæ ratione; quam nihilominus majore semper tenuit alacritate. Corpus cilicio, ac flagellis assidue macerabat suum: carnes infirma dumtaxat valetudine, vinum nonnisi in Nativitatis, & Resurrectionis Dominicæ solemniis, compluribus vero diebus nihil omnino degustavit. Brevissimum humi somnum carpens, continuas & fer-

Digitized by Google

ferventiores ad Patrem luminum fundebat preces, ut sibi manifestaret, num defunctæ Sororis anima in cælestia recepta fuerit tabernacula. Voti compos effecta est. Dum enim die quadam per proprium agrum transiret circa meridiem, en repente conspiciendam ipsi se præbuit Deipara Virgo cum laudatæ Sororis anima fulgentissimis circumfusa radiis, atque Angelorum stipata choris, quæ ad arreptam constanter percurrendam perfectionis viam Sororem dilectissimam hortata est, communem denique promittens gloriam, æternæque consortium beatitudinis.

Ob supernam hujusmodi visionem atque monitionem, mirum quo studio ac sagacitate adlaborabat pientissima Puella, ut in virtutum palestra magis magisque proficeret! Hinc dæmon sub beati Spiritus specie ipsi apparens, ANGELAM de illa visione maxime lætantem decipere conatus est. Ast, vaferrimi hostis fraude illico detecta, procidit in faciem, sese indignam professa est videre Angelos Dei, utpote flagitiis onustam; eumque conjecit in fugam. Etsi triumphans ab hoc evaserit certamine; pernecessum tamen sibi fore putavit contra diaboli arma sese firmius communire, dirissimas ingeminans carnis macerationes, ac saluberrima quæque pietatis exercitia.

Pubes jam facta, ac Eucharisticæ Dapis suscipiendæ capax, hac vesci ea frequentia non poterat, qua exoptasset præclara ejus religio, vivissimaque in Deum charitas, ob tepescentem illius ætatis pie-

pietatem, dum infelicissima invaluerat consuetudo apud sæculares laicosque perraro ad Sac. Mensam accedendi. Qua de causa id consilii cœpit, ad hujusmodi declinandum obstaculum, paternis bonis abdicatis, habitum, ac regulam amplectendi Tertii Ordinis S. Francisci; & sic evangelicam paupertatem virginitatis laudi conjunxit.

Maxima quidem sanctimoniæ incrementa omnes in ea suspiciebant atque admirabantur. In æternorum meditationibus, precationibusque magis defixa, corporis afflictationes in immensum fere adauxit. Christum pauperem, & patientem sequi volens, arctissima delectabatur inopia. Famem, sitim, crudelioresque tempestatum inclementias voluntarie perpetiebatur; emendicatis victitabat escis; detractaque ex iisdem quotidiana sua tenuissima alimonia, quod supererat egenis largiebatur, ægrotis præsertim, quibus libenter ministrabat. Rudi ac simplicissimo utebatur indumento; subuculam, quam hispido superponebat cilicio, frigida prius aqua hyemis tempestate madefaciebat.

Tanta ejus inedia, ut singulis diebus mensa constaret panis buccella, fructibus, herbisque insipidis; tenuissima tamen in quantitate. Sextas ferias toto anno impasta prorsus transigebat, veluti etiam tres in hebdomada ferias quadragesimali tempore: ac tunc quotidie vescebatur trina nuce, castanea, ficu, atque porro; excepto die dominico, quo parvum addebat panem, quasi opipare conviva-retur. Quod autem communiter portento simile ha-

bebatur, a morbis ipsa feliciter convalescebat descripti rusticani cibi esu, nullis adhibitis salutaris artis præsidiis. Sæpe tandem jejuna permanebat integra hebdomada, solo contenta Cibo Eucharistico.

Decentiano patria sua discessit, ac Brixiam perrexit anno circiter millesimo quingentesimo decimo sexto, ut nobilem ibi Fœminam recenti filiorum morte mœrentem solaretur; cujus hospitio usa est mensium aliquot intervallo. Plura dein peragravit loca ingenti cum Sanctitatis fama, ut vel consolatione permulceret afflictos, vel reis veniam impetraret, vel infensos invicem animos reconciliaret, vel a vitiorum colluvie flagitiosos avocaret; nullum pietatis officium erga proximos omittens. Quæ sane multo majore consequebatur facilitate, quia mores ita composuerat suos, ut speculum in se ipsa referret christianæ perfectionis, maxime ob frequentissimam Angelici Panis participationem, dum tanta charitatis vi ferebatur in Deum, ut sæpius extra sensus raperetur.

Alia jamvero itinera, sacrasque auspicati peregrinationes vehementer exoptans, Mantuam profecta est, ut spiritualia misceret colloquia cum B. Hosanna de Andreasiis Sanctimoniali Ordinis de Pœnitentia S. Dominici, cujus eximiæ jam tum vigebat virtutis celebritas. Hinc cito Venetias divertit, ubi navim fortiter conscendit, longam & periculosam aggrediens navigationem ad Palestinam, ut loca illa a Christo Domino pro redemptione humani generis passo consecrata inviseret ac vene-

Digitized by Google

veneraretur. Ad Cydonias appulsa oras, utriusque oculi lumine licet orbata; animum tamen nequidquam despondens, iter generose prosequi maluit, ac per singula ea sacra Loca manuduci. Verbis exprimi haud valet fervens ejus cordis æstus, flagrantissimæque actus charitatis, dum tota suæ mentis acie passionis, ac mortis Salvatoris nostri mysteria impense recogitabat atque meditabatur, copiosas quidem effundens lacrymas maximo conjunctas animi dolori.

Vela posthac solvit Italiam versus, ut regrederetur; eodemque plane in loco, ubi cæcitate correpta fuerat, coram Jesu cruci affixi imagine sublatam absolutamque visionem prodigiose recuperavit. Mari cum se iterum commisisset, ut iter prosequeretur, ecce crudelissima insævit procella, quæ jam jam minitabatur exitium. Binæ naves, quæ simul navigabant, tertia tandem die fluctuum impetu submersæ fuerunt. Sola navis, qua vehebatur ANGELA, post novem tempestatem dierum, ac post incolumitatem a Barbarorum occursu; in quos misere inciderat, imminens naufragium, & captivitatem divinitus evasit, atque Venetias sospes ac lætabunda pervenit.

Hac in urbe, ut fractas recolligeret vires, brevem duxit moram apud Sanctimoniales S. Sepulcri. Advolavit illico ad eam invisendam numerosa Patritiorum, ac Civium Venetorum utriusque sexus copia, & Religiosi spectatissimi Viri: cumque comperiissent, vera vulgata fuisse a fama, quæ præcessit;

nonnulli demisse ipsam rogarunt, ut sedem ibi figere vellet suam beneficio ac spirituali Piorum Locorum emolumento. Renuit humillima Virgo; simulque intelligens, se maximo in honore haberi Venetiis, clam illinc discessit, Brixiamque adventavit die vigesima quarta Novembris anni millesimi quingentesimi vigesimi quarti.

Universalis autem Jubilæi solemnitas quum volveretur insequenti anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, desiderio incensa amplissimæ hujusce veniæ, sacrarumque adipiscendi thesauros Indulgentiarum a Summo Pontifice fidelibus exhibitos, Romam se contulit. Postquam incomparabili devoti cordis affectu, religionisque significatione injuncta explevit satisfactoria opera, postquam Templa, ac SS. Martyrum lipsana devote visitavit, postquam innumera & enixiora præbuit pietatis argumenta; ad colloquium, & osculum pedum admissa fuit Maximi orthodoxæ Ecclesiæ Hierarchæ Clementis VII. Novit hic quæ quantaque in ANGELA continerentur merita, quam sublimia splendescerent sanctimoniæ decora: adeoque ipsam hortari duxit, ut stabile in Urbe poneret domicilium, mulierumque nosocomiis, ac gynecæis regendis atque juvandis operam daret. Animo tamen revolvens præstantissima Virgo Societatis Brixiæ instituendæ cæleste, quod habuerat, mandatum, de quo inferius; se humiliter excusavit: quod plane summopere commendavit Pontifex, illamque ab Urbe permisit abire, quia cælitus aliò vocatam reapse intellexit.

Iter

Iter agens audivit, nostræ Redemptionis mysteria; quæ in Palestina prius venerata fuerat, graphice expressa conspici in quibusdam Montis Varalli ædiculis; atque idcirco novo charitatis incendio compulsa illuc accessit. Mediolanum transivit, ubi Princeps, qui ejus virtutem superiore anno Brixiæ demiratus fuerat, atque in spiritualem ejusdem filium se mancipaverat, pro viribus moliebatur, ut perpetuo illa maneret. Sed abnuit ANGELA, ac discedens Mediolano, sociorum itineris gratia Cremonam petere debuit. Longiusculam inibi moram ducere coacta fuit. Quum Romanorum enim Imperator bellum parasset adversus Venetam Rempublicam, Brixiam quoque se copiis obsessurum suis minabatur. Quare fidus ac prudens Virginis comes jussit, omnino discessum protrahi quousque res pacifice componerentur. Hoc utique temporis intervallo magna gentium cujusque ordinis, conditionis, ac sexus multitudo ipsam assidue, veluti oraculum, conveniebant, ut de spiritualibus consulerent negociis; incredibilique simul stupore corripiebantur, dum supernam ejusdem sapientiam, spectatissimamque contemplabantur vitæ sanctimoniam.

Evenit interea, quod in gravem ac maxime periculosum inciderit ANGELA morbum, & brevi conclamata fuerit ejusdem salus. Quamobrem cum præ foribus instantem jam deflerent ipsius mortem cuncti hospites, atque amici; unus eorum sepulcralem lucubravit inscriptionem, proximumque nun-

ciavit Virginis obitum. Ad hæc tamen insueto gaudio gestiens, incredibilique perfusa lætitia supra lectulum, in quo jacebat, sedentis forma illico se componens fortissima Mulier, de sempiterna Beatorum sedis felicitate tanta dicendi vi tantaque sancti ardoris, quo intrinsecus incendebatur, significatione ad semihoræ spatium edisseruit; ut adstantes universi maximam in admirationem rapti, propter supernam quoque lucem, qua ejus facies mirabiliter irradiabatur, Cherubim audire atque intueri arbitrarentur. Cujusmodi ANGELÆ allocutione vix expleta, quælibet continuo evanuit infirmitas, pristinæque illa valetudini fuit restituta. En tamen in luctum protinus versa hilaritas, qua nuper tenebatur sacra Virgo. Dilatam enim vehementer dolebat ac plorabat immarcescibilis coronæ possessionem, quam se jam jam adepturam delectabatur.

Brixiam itaque reversa, domum ad Sanctæ Aphræ templum conduxit, piissimam utique Mulierem sibi sociam adjungens. Longum esset recensere sancta, quæ peragebat, exercitia hocce in templo: nacta enim ibi doctos expertosque spiritus Moderatores ex Congregatione Lateranensi Monachorum Regularium S. Augustini, ab eorum consiliis ac directione in percurrenda Dei mandatorum, & perfectionis evangelicæ via ne latum quidem unguem recessit. Longum quoque multiplicia, atque insignia retexere adjumenta, quæ proximis vel ab egestate levandis, vel a peccatorum sordibus emundandis indesinenter præstabat. Maxima, ac supra

quam

quam dici excogitarive possit in ANGELA micabat virginitatis custodiendæ zelotypia. Cumque asseri audivisset a quibusdam coætaneis puellis, nunquam sibi sponsum defuturum ob singularem suæ cæsariei pulchritudinem ac elegantiam; extemplo commota est, atra fuligine admixta lixivio capillos abluit atque conspurcavit, sævissimaque simul instituta proprii corporis afflictatione, naturalem devenustavit vultus formam, ut rebellis non minus coerceret stimulos carnis, quam ingratum squalidumque intuentibus conspectum redderet suum.

Diuturniores adhuc moras nectere minime valebat ANGELA, dum ea modo advenit plenitudo temporis, quo novæ Virginum Societati sub certa disciplina, sanctisque vivendi regulis fundandæ manus omnino admovere divinitus compellebatur. Jam inde ab illa ætate, qua Decentiani manens adolescentula rei agrariæ operam dabat, priusquam sacra enunciata susciperet itinera, dum circa meridiem paullisper a cæteris recesserat operariis tunc prandentibus, assuetæque impensius vacabat orationi; eo ante ipsius oculos obversata est mystica scala stans super terram, & cacumen illius tangens Cælum, per quam numerosa Virginum cohors, quarum singulæ pretioso gemmarum serto tempora redimitæ, atque Angelorum chorus alterna vice descendebant, qui musicalia pulsabant instrumenta. Cum talia quasi extra sensus absorpta contemplaretur, imperiosam quoque audivit vocem, quæ sic fata est: *Noveris ANGELA, Deum hanc tibi monstrasse visio-*

sio-

sionem, ut Brixiæ selectam instituas Societatem, quemadmodum absoluta fert ipsius voluntas.

Expavit ac vehementer perturbata fuit humillima Virgo tanto se operi aggrediendo, perficiendoque prorsus imparem existimans. Id omne nihilominus pandidit sui spiritus Moderatori, qui, re mature considerata, ad æquam Sanctuarii lancem appensa; & cum doctis piisque viris consulta, de visionis veritate ipsam certiorem reddidit, ac simul hortatus fuit, ut cælestibus obtemperaret mandatis. Quod tamen, humilitate remorante, in longum tempus distulit, sacrasque auspicata peregrinationes, nunquam plane laudati fundationem Instituti complere ausa fuisset, nisi Christus Dominus sensibiliter apparens de hujusmodi trepidatione sua ANGELAM reprehendisset, novosque idcirco stimulos ipsi addidisset.

Omnigenis igitur locupletata virtutibus, supernisque charismatis, scientiæ potissimum, sapientiæ, prophetiæ, ac spirituum discretionis, divinam unice gloriam sibi proponens cum æterna animarum salute, præstantissimum delineavit Institutum, quod & periclitanti prospiceret illarum puellarum virginitati, quæ, tametsi christianæ perfectionis magnopere cupidæ, Asceterii septa ingredi haud volebant, & ingruentibus illius ætatis vitiis, gliscentibusque obsisteret hæresibus. Ast consulere prius hac de re voluit graves & sapientes viros: eorumque consilio & adprobatione colligere domi suæ dein coepit spectatæ pietatis virgines, aliasque lectis-

lectissimas fœminas, quas ferventibus, assiduisque instruebat ac præparabat documentis atque monitionibus ad novam capessendam sanctiorem vitæ rationem. Sic autem biennii, vel triennii spatio illarum exploratis moribus, ac cælesti vocatione, ad Fundationem denique perficiendam devenire constituit.

Eapropter die vigesima quinta Novembris, qua divæ Catharinæ V. & M. in Ecclesiæ fastis recolitur memoria, A. D. millesimo quingentesimo trigesimo quinto cælesti Pabulo refectas secum in Societatem cooptavit septem supra viginti egregias Virgines, nullam prorsus ab iisdem postulans dotis solutionem, ut facilior ad Institutum amplectendum pateret aditus. Brevem simul a se concinnatam præcepit Regulam duodecim dispertitam capitibus, in qua, tametsi nulla emittenda vota essentialia Religionis exquirat, virginitatem stricte servandam injungit, ac præcipue commendat solitudinem, obedientiam, mortificationem tam spiritualem, quam corporalem, charitatem, orationem, Sacramentorumque frequentiam, aliaque id genus pietatis officia. Verum eo animi demissionis, ac propriæ gloriæ despectionis processit eximia Fundatrix, ut nomen reticere suum, illudque S. Ursulæ Societati maluerit imponere: quam quidem Societatem, invictæ hujusce Virginum Ducis titulo & patrocinio insignitam, perennem quoque futuram morti proxima prædixit.

Adaucta magis magisque Alumnarum copia usque ad Virgines octoginta, ac nobiles Viduas

duas quinque, anno a fundatione nondum emenso, ejus Regulæ ab Ecclesiastica Brixiæ Potestate probari meruerunt amplissimo solemnique decreto die octava Augusti anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Pontificia deinceps accedente confirmatione, post felicissimam ANGELÆ dormitionem, Fundatione vix expleta, plenis suffragiis optimæ Alumnæ Instituti Moderatricem reluctantem illam & prorsus invitam renunciarunt. Ipsa in humanis agente, Societas magnis honestata fuit incrementis: numerabantur enim Virgines CL. ac viduæ IX, dum ad cælestem patriam ea migravit. Posthac vero cum S. CAROLUS BORROMÆUS præstantissimus ille Mediolanensis Antistes Brixiam se contulisset, atque oculis conspexisset suis quantas in Ecclesia Dei ferret utilitates incomparabilis hæc Institutio; Mediolanum quamcitius eamdem voluit extendi: quæ sequiori ævo plurima quidem in Regna, Provincias, Regiones, Urbesque florentissimas, etiam ultra montes sub utroque hemisphærio, fuit rapide propagata.

Instare demum sentiens, ob supernum quod habuit lumen, suæ dissolutionis horam, alteram sibi suffecit Societatis Moderatricem, confecitque spirituale testamentum, in quo puriora mirabiliter expressit virtutum sensa, pretiosaque ac saluberrima præbuit Instituti Alumnis evangelicæ perfectionis monita, & sanctimoniæ incitamenta. Jam vero dives meritis prope septuagenaria inenarrabili charitatis æstu rite munita Ecclesiæ Sacramentis placidissime

avo-

avolans in cælum, candidam Sponso Divino reddidit baptismalis innocentiæ stolam die vigesima septima Januarii anni millesimi quingentesimi quadragesimi. Incredibile sane post se reliquit desiderium sui Civitati universæ, ac Societatis præsertim Alumnis plurimo affectis mœrore, dum tantæ Ducis atque Magistræ lamentabantur interitum. Ejus Cadaver, quod per triginta dies inhumatum flexile, molle, ac vivo simillimum perseveravit, in S. Aphræ templo inter cæteras, quibus illud abundat, Sanctorum Reliquias conditum est.

Magnæ statim gentium multitudinis ad gloriosum ejusdem sepulcrum fieri cœpit concursus, & occursus, ubi plurima ab Excelsi dextera dilectissimæ Ancillæ suæ precibus & meritis acta sunt miracula: quorum fama longe lateque diffusa, non Brixiæ modo, & Decentiani, sed alibi etiam vulgo cœpit nuncupari BEATA, ejusque imago Aris imponi: imo S. ipse CAROLUS BORROMÆUS non multis post annis dignam, quæ ab Apostolica Sede in Sanctarum Virginum album referretur, Brixiæ palam asseruit.

Constructa idcirco in Urbe Brixia Inquisitione auctoritate ordinaria super fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum B. ANGELÆ, nec non super publico ecclesiastico cultu ipsi delato juxta Apostolica Indulta, aliaque dein Romæ fabricata ordinaria similiter auctoritate ad coadjuvandas probationes; Sa. Me. Clemens PP. XIII. signavit Commissionem Introductionis Caussæ die decima tertia Augusti an-

ni millesimi septingentesimi sexagesimi tertii, ac post varias Caussæ disquisitiones, die tandem trigesima Aprilis anni millesimi septingentesimi sexagesimi octavi declaravit, hujusmodi Casum, ob peculiares facti circumstantias, posse non comprehendi sub censura Decretorum Sa. Me. Urbani VIII., ac proinde Cultum, quo potita erat Ancilla Dei, sollemni Decreto confirmavit.

Tunc Sanctimonialium Societatis S. Ursulæ animis laudabilior insedit cupido sublimiores Beatæ suæ Fundatrici procurandi Canonizationis honores. Quamobrem Apostolicum obtinuerunt Brixiæ instrui Processum super illius virtutibus, & miraculis in specie. Virtutes heroicum attigisse gradum, unanimi consensione Sacra Rituum Congregatio edixit die duodecima Junii anni millesimi septingentesimi septuagesimi septimi, ac supremo item oraculo constituit fel. rec. Pius VI. die decima sexta ejusdem mensis, & anni. Restabat modo judicium Miraculorum post indultam eidem B. ANGELÆ venerationem. Fabricatis idcirco super tribus prodigiosis sanationibus totidem Apostolicis Processibus, duobos nempe Brixiæ, & uno Veronæ, ad severiorem trutinam semel, iterum, ac tertio, ut vigens fert S. Sedis disciplina, illæ revocatæ fuerunt, præcipue in comitiis generalibus coram laudato Pontifice Maximo coactis die duodecima Januarii anni millesimi septingentesimi nonagesimi; plenisque calculis a Sacræ Rituum Congregationis Patribus ceu divina opera probari meruerunt.

At

(XVII)

At decisione interea supersedendum duxit sapientissimus Pontifex, ut in rebus magni momenti fieri solet, lumen a Deo suppliciter petiturus; ac solemniter tandem die vigesima septima ejusdem mensis, & anni pronunciavit: *Constare de tribus Miraculis a Deo, B. ANGELA MERICIA intercedente, patratis, ad tertium genus referendis*: quæ sic habentur.

Primum. Instantanea perfectaque sanatio Angelæ Filippiniæ ab inveterato ulcere cacoethe putrido dexteram tibiam depascente in scorbutico corpore, cum integra virium restitutione.

Alterum. Subita ac perfecta sanatio Mariæ ab Aquafrigida ab hemiplegia, quæ apoplexiam consequuta est, seu totius dexteri lateris paralysi, cum aphonia, aliisque gravissimis symptomatibus, & cum absoluta virium redintegratione.

Tertium. Repentina ac perfecta sanatio Mariæ Angelæ Cominiæ ab hemiplegia in parte sinistra post insultum apoplecticum, cum gravissimo pectoris morbo, viribus omnino recuperatis.

Quibus peractis, habita est Congregatio generalis coram laudato Pio VI. die tertia Julii ejusdem anni, ut de ipsius B. Virginis cultu amplificando deliberaretur: interrogatisque Patribus, censerent nec ne tuto procedi posse ad ejus Canonizationem? id decere quammaxime, fuit omnium assensu atque adprobatione judicatum. Cujusmodi sententia cum & Summo Pontifici placuerit; post multas ad Deum preces, die decima quinta Augusti ejus-

Digitized by Google

ejusdem anni ipse rite definivit: *Tuto procedi posse ad Canonizationem B. ANGELÆ MERICIÆ, Decretumque de Sanctificationis solemniis quandocumque celebrandis publici juris fieri mandavit.* Quod sane ut tandem aliquando perficiatur, post assiduas Regum, Principum, Magnatum, Antistitum, totiusque Christiani Populi supplicationes, enixe ac demisse nunc implorat Ursulinarum Societas, dum ab Ecclesia universa tantam laudis accesionem venerationemque optimæ Parenti suæ tribuendam præstolatur.

F I N I S

VA1
1546133